UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Societas Iesv Amatrix, Cultrix, Imitatrix, Christi Crvcifixi

Sandaeus, Maximilianus

Antverpiae, 1647

18. Nomini proprio, quo subscribuntur epistolæ, Crucem calamo superscribit, Mutius Vitellescus, Italus.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55449

Visual Library

VIII.

AMATOR CRVCIFIXI

Nomini proprio, quo subscribuntur epistolæ, Crucem calamo superscribit.

18. MVTIVS VITELLESCVS Italus.

MVTIVS VITELLESCVS, Romanus Præpositus Generalis Societatis IESV VI. qui annos natus XX. CRVCIFIXI amore, & CRVCIS amplectendæ, ac post CHRISTVM portandi studio ductus, Societatem est ingressus, An M.D.LXXXIII. deinde, mortuo Aquaviva, Generalis delectus Anno M.DC.XV. in more habuit epistolas omnes suas nomine proprio subscribere, ut fieri solet à Generalibus: at peculiare illi erat, quod nomini superponeret CRVCEM, ✠, calamo formatam.

An, ut omnibus, ad quos scribebat, CRVCIS memoriam renovaret? An, si læta essent responsa, moneret tacitè, CRVCIS recordatione esse temperandam lætitiam inde oriri solitam? An, si tristia continerent, CRVCIS objectu insinuaret, frustrà aliunde hominibus Societatis petendum esse solatium. Et Româ quoque expectandam CRVCEM, quam ibi primus ejus Conditor invenit, sed, CHRISTO propitio, leviorem. Ego certè, de me id profiteri possum, quod

nunquam litteras Româ acceperim, quin priùs quàm legerem, in CRVCEM oculos conjecerim. Quod mirificè confert ad hoc ut animus ad quæcumque responsa imperturbatus maneat.

Quoniam autem Præpositus Generalis Societatis pluribus litteris nomen suum subscribit quot septimanis, quàm ullus alius in orbe negociosissimus sive Princeps, sive Mercator, sive scriptor, reor ego plures pinxisse CRVCES Vitellescum XXX. illis annis, quibus Ordini nostro præfuit, quàm ullum ævi ejusdem mortalium: ut vero nomine dici potuerit, circa vitæ finem, STAVROGRAPHVS, qui semper ab ingressu in Religionem fuerat STAVROPHILVS.

Spiritum Creatori suo reddidit Sacramentis Ecclesiæ, & benedictione Pontificia communitus, An. Christi M. DC. XLV. IX. Februarij, Ætatis LXXXII. vitæ religiosæ LXII. Quo affectu fuerit in CRVCIFIXVM videre est etiamnum in Oratione de PASSIONE Domini, quam habuit ad Gregorium XIV. An. M. D. XC. & cum alijs aliorum ejusdem argumenti est edita.

Elogium Mutij Vitellesci habet Andreas Victorellus, alijq; , ex quibus Philippus Alegambe in Bibliotheca Societatis. Imago primi seculi lib. 1. pag. 17.

IX.